Continuatio
EPICEDIORVM
Super octo Senatores Londinenſes, duos Equites Ex-Prætores & ſex Armigeros, hoc triennio mortuos:

Anno decimo quarto, quinto & ſexto Regni Sereniſsimi & Potentiſsimi Magnæ *Britanniæ*, *Franciæ*, & *Hiberniæ* Regis

CAROLI.

BODLEIANA BIBLIOTHECA

Herba reviviſcit gelidæ poſt frigora brumæ;
Sic quoque nos CHRISTI *lucramur funere vitam.*

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina ROGERI DANIELIS. 1641.

Prosphonesis.

NOn priùs exoritur nisi mersus ab æquore Phœbus,
Antè nec excrescit granum nisi mole sepultum,
Ipsa nec ad cœlos tendit sine pondere Palma;
Sic quoque nostra gravi commissa cadavera terræ,
Vel submersa mari, vel edaci tradita flammæ,
Voce triumphali CHRISTI, de morte resurgent,
Angelicis resonabit ubi clangoribus æther.

Celeberrimæ & Florentiſsimæ
REIPUBLICÆ LONDINENSIS
Honoratiſsimo Domino Prætori Regio,
EDMUNDO WRIGHT:
Conſultiſsimo Urbis Syndico,
D. TH. GARDINERO:
Honorabilibus 25 Dominis Senatoribus,
Equitibus & Armigeris:
Venerabilibus ex illis duobus Vice-Comitibus,
D. JOHAN. TOVVSE, & D. ABR. REYNARDSON:
Benefactoribus optimis,
Salutem & felicitatem precatur.

QUi ſub Rege pio, Populi moderaris habenas,
Juſtitia & Cives Judicióque regis:
Vóſque Patres Patriæ, Sancti diadema Senatûs,
Torquatíque Equites, Armigerique graves:
Quòd repetam Vobis fatalia funera Fratrum,
Efficit hæc Veſter carmina grata Favor.
Continuò refert mortalia mente revolvi:
Nam nihil æternum maximus Orbis habet.
Eſt Sapientis opus, crebræ meditatio Mortis,
Judicis & ſummi ſic meminiſſe DEI.
Si minùs iſta placent, melius repetita placebunt,
Dum dabit extremum buccina læta ſonum.

Humillimus cliens,
JOH. SICTOR, Bohemus.

FUNEBRIS ODE IAMBICA,

De fragilitate & inconstantia rerum humanarum,
ad Amplissimum & Prudentissimum Senatum
LONDINENSEM,
super 4 Senatores mortuos, Ann. Christi 1638.

FAtale cunctis tempus est mortalibus,
Quos ambit Orbis orbita.
Lethale malum quippe nocuit singulis
Primo Parentum crimine.
Aurora Solem subministrat aureum;
Noctem reducit Hesperus.
Lucem tenebræ: nox tenebras obruit:
Mors certa vitæ fit comes.
Quodcunque fluxo novit ortum sidere,
Idem subinde deperit.
Quatuor fuêre jam diu Monarchiæ
Vario statu mutabiles.
Assyrius auro tumidus extulit caput,
Humerósque *Persa* argenteos:
Macedo volucris æneo ventre occidit:
Romanus exstat ferreus
Pedibus hiulcis ex luti compagine,
Lapide angulari corruens.
Fatalis exit orbe rerum terminus.
Mundo reverti nescius.
Humana vita sicut umbra præterit
Ætatis ipsas per vices.

Subjecta

Subjecta morbis plurimis infantia:
Fragilis juventus ad omnia:
Virile robur viribus collabitur:
Senecta Letho proxima:
Quis, quæso, casus indicabit singulos,
Quêis quæque sors obnoxia?
Tam dives æquè, quàm miser subitò cadit
Feriente Mortis spiculo,
Nec ære quisquam redimere potest proximum
Fratrémque conjunctissimum!
Vester Senatus hoc idem testabitur
Labentis anni calculo.
Nam quattuor Rei columnas publicæ
Amisit in spatio brevi.
Palmam cuique non datur contingere,
Clades fit in certamine.
Subeunt pericla sæpe magnanimi Duces,
Quos fama nescit condere.
Heroa Virtus urget hos ad ardua;
Sed alma Vestros Pax beat:
Lethalis *Andreæ* refulsit Julius
Medio Senatûs tramite,
Simulatque *Smitho*, falce quem sub Sirio
Augustus æstu sustulit,
Fecítq; *Cambello* November terminum
Durante Juris termino;

Moulſonus ipſe ſed Decembri concidit
Ex-Prætor Urbis Patriæ.
Quies beata cedit illis in polo;
Vobis labores imminent,
Donec manendum fragili in iſto corpore,
Purganda ſcelerum vulnera.
Agnus ſalutari Redemptor vellere
Malo medelam præſtitit.
Hoc Veſtra dudum floruit Reſpublica,
Divini amoris conſcia.
Hunc puro amate corde, Patres candidi,
Aſtræa ad aſtra Vos feret.

EPICEDI-

EPICEDION APOSTROPHICON
Honorabili & de Patria optimè merito Viro,
Dom. RICHARDO FENNE,
Florentiſsimæ Reipublicæ Londinenſis *per tredecim annos Senatori Ex-Prætori, Supremóque Urbis*
Militiæ Prefecto, Anno Dom. 1639, ætatis verò ſuæ 76, die 19. Auguſti piè in CHRISTO mortuo, & 25 Septembris honorificè ſolenni Senatoribus more ſepulto.

QUando Magiſtratum Cives tot in urbe recuſant
Et Patriæ juſtum ferre Parentis onus:
Tu Pater emeritus moreris, dignúmque relinquis
Exemplum Sociis & Pietatis opus.
Heu quatuor menſes * Prætor ſua vota rogabat,
Quàm potuit Comites noſſe, Duûmque Viros!
Elegêre quater duodenos ritè Tribunos,
Invenére duos conditione pares.
Rarius antiquo factum & memorabile ſeclo,
Ut fugerent faſces tot gravitate Patres!
Sæpius in Matrem Natus peccare videtur,
Si renuat Patriis munus obire focis:
Præcipuè ſi Vir gravior, prudénſque repertus,
Dives opúmque parens, reſpuat ille Forum.
Eſt Pietate Deo ſemper Reſpublica curæ,
Quæ citò Conſilii poſcit habere duces.
Non equidem nobis in mundo naſcimur ipſis,
Sed Deus, & Patriæ vendicat iſta ſalus.

* Eques Mauritius Abbot.

Relligione

Relligione Deo gratos præſtamus honores;
Sed Patriæ officiis redditur omne decus.
Te quoque par curis Matris devinxit honeſtas,
Debeat ut Nato præmia digna ſuo.
Quot parit inſignes meritis Urbs inclyta Laurus,
Tot tibi conſtantes contulit illa gradus:
Quæ precioſa via eſt, Sancti liménque Senatûs,
Reddidit egregium te probitate Virum.
Hinc Deus ingenuis nunquam tibi defuit auſis,
Sed dedit auſpiciis robur alacre piis.
Namque Senatorum decoraſti Marte Coronam,
Conſilio Cives, dexteritate Forum.
Sit Prætura potens quondam per compita teſtis;
Sed magis Herculeus cum gravitate labor.
Annuus ille labor, Regalis Sparta favoris,
Dum facit auguſtum torquis honora Patrem.
Quod mirum! novies ſepteno ætatis in anno,
Fatalis ſenibus qui nimis eſſe ſolet,
Intrepidus primos amplexus es Urbis honores,
Nec fueras laſſus mole ſubinde gravi,
Donec Sol tredecim plenos convolverat orbes,
Et tibi jam ceſsit morte ſuprema dies.
Non minùs ipſa tuos memorat *Bellona* labores,
Militiæ fidum ſcítque fuiſſe ducem,
Sive datum in campis varias luſtrare cohortes,
Aut ubi Patricios armiger hortus alit.

Septua-

Septuaginta & ſex vixti haud inglorius annos,
Quàm rarum eſt ſimiles nunc ſupereſſe Senes!
Roma ſuos jactet *Decios*, *Fabióſ*que Parentes,
Téque referre poteſt Urbs *Tameſina* Patrem.
Nam tua perſpectæ nota eſt Prudentia mentis,
Civibus & recto corde probata Fides,
Seu commune bonum Patriæ poſcebat áſylum,
Seu Socialis amor ſæpe vocabat opem,
Semper eras promptus dubiis ſuccurrere rebus,
Et Patrio Patrios jure juvare focos.
Publica privatis præſtant, æterna caducis,
Quêis Patriæ ſummus Nobilitatur Honos.

Aliud Epicedion Apostrophicon

Honorabili & de Patria optimè merito Viro,
Dom. ANTONIO ABDEY, Armigero,
per decem annos Reipub. *Londinensis* Senatori,
Anno CHRISTI 1640, *die* 10 *Septembris*,
plè in Domino mortuo, & prima Octobris
unà cum dilectissima uxore sepulto.

DUm Patriæ summũ properas ad culmen honoris,
Proximus & seriè Prætor in Urbe fores,
Heu propere Letho aperis, præeunte marita,
Et socius Sociæ contumulare tuæ!
Publica grata tuos memori Res mente labores
Condit, & emeritum sat probat ipsa Patrem.
Quid Comitale decus, quid cura, labórque requirit,
Metropoli cunctis Civibus esto Fides,
Aurea te Pietas commendat, & ardua Virtus,
Integritas justo Palma probata Foro.
Namque Senatorem norunt plerique decennem,
Curia nota quibus cum Regione fuit.
Anglia lanigeris fœcunda bidentibus artem
Quam dat pannificis vellere, Præses eras.
Quicquid ab Eois Mercator convehit *Indis*,
Juvisti sociam providus arte Domum.
Auxit & alma DEI benedictio prole penates,
Dum cinxit felicis bona corona dapes.

Plura

Plura probent alii; mihi pauca referre licebit,
Te columen Patrii dulce fuisse soli.
Sed quia nil constans terrestri restat in Orbe,
Calcasti subito funere Mortis iter.
Sat Pietatis erat, Patriæ servisse Parenti,
Atque Senatorum condecorasse chorum.

Aliud Epicedion Apostrophicon
Honorabilibus duobus Senatoribus *Londinensibus*,
D. Sam. Cranmore, & D. Ed. Rudge,
illi Mense *Novembri*, huic *Decembri*, vitâ defunctis,
Anno Christi *eodem* 1640.

VOs quoq; de medio rapuit Mors æqua Senatu,
Florentis Urbis bina, Patres, lumina:
Mens prodesse fuit Patriæ candore probata,
Affectus atque Vester in Rempublicam.
Namque pepercistis nulli proprio ære labori,
Commune quò constaret ipsum commodum.
Si Vice sit Comitum vigilantia tanta decori,
Hoc Vos decoros Sparta sistit cardine.
Illa Senatores fecit gravitate verendos,
Prudentis expertos & usu consilî.
Illa laborantes causa relevavit amicos,
Vicíque lites tot diremit noxias.

Quando

Quando datum tali ſtadio decurrere metam,
Fatalis Orbi ſuſtulit Vos terminus.
Omnibus hinc ſpeculum facti eſtis imagine Mortis,
Non eſſe nobis hîc manendum perpetim;
Sed Politeuma poli vera Pietate parandum,
Quiete Cives quod beatos efficit.

Curia cœleſtis non exſtat amica ſceleſtis;
Sed æquitatis ſempiternæ Regula,
Juſtitiæque Domus,
Judice *Chriſto*.

Coronis
de Termino Anglicano.

Terminus eſt Juris, ſed nondum terminus Orbis;
Terminus aſt Juris terminus Orbis erit.

PANEGYRICON INAVGVRALE

Honoratiſsimi & Ampliſsimi Domini Prætoris Regii, ſive Majoris

Nobiliſsimæ & Florentiſsimæ Vrbis Londinenſis,

A forma Reipublicæ breviter conſcriptum.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

Dedicatorium.

Aurea luce redit ſolennis Pompa diei,
Illa Magiſtratûs Sparta decúſque pii:
Ne ſpernas humiles, Prætor Venerande, Camænas,
Dum vovet auſpiciis proſpera quiſque tuis.
Una dies cunctis tot gaudia corde miniſtrat;
Totius eſt anni ſed labor ille gravis.

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina ROGERI DANIELIS.

Inf

Amplissimo & Prudentissimo Domino Prætori, Senatui, Populóque Londinensi.

INter celebres Respublicas, quæ hactenus apud sapientiores Gentes, tam sacras quàm profanas, bono ordine & laudabili disciplinâ excelluerunt, florentissima Vestra Londinensis jure principem locum meretur. Forma enim illius administrandæ in tam populosa Vrbe, (censoribus vel ipso Platone & Bodino,) omnibus numeris absoluta, elegantem cœlestis machinæ harmoniam & concinnam humani corporis fabricam ad vivum ferè repræsentat. In ea equidem, (ut nihil referam de emporio totius Orbis terrarum celeberrimo,) omnia & singula, summa mediis, media imis, invicem aptè disposita, probè ordinata, & subalternè mutuo officiorum nexu quasi concatenata sunt, ut facilè vel uno intuitu quenque in sui admirationem & desiderium trahant. Unde metropolis Vestra non immeritò Britanniarum Epitome & Microcosmus multis appellatur. Ad hæc insuper sincera salutaris verbi Dei prædicatio, decénsque in Magistratum observantia, Vrbem Vestram Christi Throno acceptiorem & cæteris Nationibus illustriorem reddit, ut non sine causa in tanta copia rerum cum Regio Psalte Vobis accinere ausim: Beatus populus, cui hæc sunt. Non ingratus itaque Civitatis Vestræ hospes, quantum per aliquot annos experienti à assequi licuit, à Formaregiminis Rempublicam, rudi (ut aiunt) Minervâ, adumbratam, & veluti in tabella depictam, pro beneficiis, debiti redhostimenti loco, Vobis offero, ut in posterum constaret peregrinis Academias lustrantibus, & potissimùm ad Panegyrin Vestram majori numero confluentibus, quas obcuras & labores Capiti Magistratûs, in ipso ingressu, à reliquis illius membris tantus honor instituatur. Sin minus aliquid ex voto præstiterim, sufficiat mihi primo raram glaciem in refluo Tamesi frangere, aut saltem Academicis Vestris, Vrbe hâc oriundis, ad meliores Patriæ conatus in Poetico studio facem præferre.

Psal. 145. v. 15.

DEVS ter Opt. Max. Britannici Imperii & hujus Reipublicæ Stator, Serenissimum Regem CAROLUM cum Regina & Prole Regiâ, Vniversos Regni Proceres, Clerum, & Vos omnes, tot diversa Regalis Vrbis fulcra, in aurea pace & integritate cordis, salvos & florentes diu conservet. Calendis Ianuarii, Anno Dom. 1638.

Reipublicæ Vestræ
Observantissimus cliens
JOH. SICTOR, Bohemus.

De celeberrima & florentißima

TRINOBANTIADOS AUGUSTÆ Civitate,

PRÆTORI REGIO,

Senatui, Populóque.

S Alve Sancta Parens Regum, Trinobantias *alma,*
Clara, antiqua, nitens, dives, amœna, potens!
URBS *decus* Europæ, Mundi *melioris Imago,*
Quid valeat Merx, Ars, Vis, Mare, Terra, *doces!*
Quicquid habet Luxus, *quicquid deſiderat* Uſus,
Proveniunt velis Dona beata tuis.
Sectile deliciis Ebur India *mittit, & Aurum,*
India *ditando laſſa miniſtra* Tago!
Braſilia *Argentum,* Babylon *Aulæa,* Sabæus
Thura, Palæſtinus *Balſama,* Thraces *Equos,*
Cinnama Perſis, Arabs *Zibethum,* Corſica *Gemmas,*
Ida *Metalla, Satum* Gargara, Creta *Merum,*
Ægyptus *Calamos, Oſtrum* Tyros, *Æra* Corinthos,
Vellera Ser, Attis *dulce Mel, Arma* Chalybs:
Marmora dat Maculoſa Chios, *Liventia* Lesbos,
Alba Paros, *Nigra* Lybs, *Verſicolora* Thaſos,

Picturata Paphos, *Guttatáque* Thebaïs *Auro*,
Angue sit Ophites, *Ungue notatus* Onyx.
Quicquid habet rari Memphis, *Precíve* Marocco,
Metropolis BRITONUM *vendicat omne suum*:
Quas Tagus, Hermus *opes, quas fert* Pactolus, *abundis*
Pleniùs & plures cernimus ire tuis:
Te Tamesis, *tua dum spectat* Regalia *Tecta*,
Sæpè retardatis dulce salutat aquis,
Bísque die refluo *blanditur amœnior* æstu,
Fértque refértque tuas, TROIA Novella, *Rates*,
Hic emitur *nummis ingens, hîc* venditur, Orbis;
Tot proprias Dotes, quot loca Mundus, *habes*.
Mole *novâ exultas*, BEDFORDI Mole *superbis*,
Moles *finitimis invidiosa locis*.
Templa DEI spatiosa *novas, celebrabitur* Orbe
Majestas *Operis* Turre *stupenda* gravi.
Templum Ephesi *Circis, ite* Amphitheatra *Colossis*,
Mausolæa *Tholis*, Pyramidésque *Pharis*.
Nobilis Urbs Venetûm, *vitreo circumflua Ponto*,
Divite munitas Gurgite laudet opes;
Splendida solertes ditet Florentia *Cives*,
Romáque, *Mitratæ Scena Cohortis, ovet*;
Se * Mediolanum *jactet*; Verona *virescat*; * En odi malum.
Vinum † Lovanium; *vina* * Vienna *sonet*; † Vinum alo. * En vina.
Sis, Augusta, Ducum, Regum *locus, imò* Deorum,
Cæsaris AUGUSTI *Robore celsa tui*;

Quæ

Quæ Caput in mediis Urbs *fertilis erigit uvis*
Bacchara *se à* Baccho *Nomen habere ferat;*
Sit Jove Creta *Potens, Celebrata ab* Apolline Delphos,
Mars Rhodopen *ornet,* Delia Delon *amet:*
Noſtra *ſed* omniferûm *ſubrides Munere* Divûm
URBS; *Tibi ſit ſpatium* Laudis, *ut* Orbis, *idem.*
Qui numeroſa videt, nemoroſa Suburbia *dicet,*
Orbis, *an* Urbs *extes?* Urbs *typus* Orbis *ades!*
Mercibus *omnigenis, &* Bellis *apta gerendis,*
Filia Mercurii, Pallade *digna Soror;*
Quæque Puella Charis, Mars *Civis,* Jupiter *ipſe*
REX TUUS, *&* Juno REGIA NUPTA, *nitet.*
Mulciber *Artificum fornaces,* Díſque *Metalla,*
Herbida Prata Dryas; *Cærula* Naïs *Aquas;*
Spicea Serta Ceres, *Cultáſque* Minerva *dat Artes,*
Phœbus *alit Vates, Jura dat æqua* Themis.
Annulus eſt Orbis, *vaſtíque ſit Annulus* Orbis
Anglia, *ſis* Anglis *ſplendida* GEMMA *Tuis:*
Florida Pace, *Vetus* Sede, *Ebria* Mercibus, *Undans*
Quæſtibus, *Exultans* PRINCIPE, Claſſe *Valens,*
Clara Viris, *Spatioſa* Viis, *Specioſa* Platéis,
Cive *Superba,* Scholis *Culta, Diſerta* Sophis,
Stannea Aquis, *Ærata* Focis, *Argentea* Menſis,
Aurea Divitiis, *Gemmea* Deliciis,
Regia Concilio, *Oceani* Regina, Senatus
Imperii, Celebris Faſcibus, Arce *Tumens,*

Fons Legum, *Portus* Peregrinûm, VATIS *Asylum*,
Æde *Beata*, Fide *Pura*, *Decora* Lare,
Urbium *Apex*, REGUM *Nutrix*, Procerûmq; *Creatrix*,
Juris *Amor*, Medicûm *Splendor*, Equestris *Honor*,
Dives Opum, *Europæ* Emporiũ, *Microcosmos* honorũ,
Læta Situ, Factis *Inclyta*, Marte *Potens*,
Naturæ Exemplar, *Famæ* Stupor, Arbitra *Mundi*,
Apta Salo, Cœlo *Grata*, *Benigna* Solo.

Tam mihi NYMPHA *places ac* ipsa Placentia; *verùm*
Ipse Placentinus *ne videar*, Taceo!

EDVARDUS BENLOWES Armiger,
Turmæ Equestris in Comitatu
Essexiæ præfectus.

PANEGYRICON

Londino-Britannicum.

PLaude Britannorũ celebris Reſpublica Regni,
Regalis Cameræ Sedes ditiſsima portu,
Deliciæ Regis, Procerum, Populíque Potentis,
Quem Natura parens tripatenti dividit Orbe,
Oceani refluis tutatur & inſula lymphis.
Vertitur aſsiduò revolubilis annulus anni,
Tempore quo redeunt ſolennia feſta diei,
Luce ſacra Genti, veteri de more recepta.
Scilicet Octobris bis deno & Sole noveno,
(Si modò non caſus conſuetis moribus obſit,
Aut Domini memoranda dies tot plauſibus obſtet,)
Quàm primùm roſeis ſurgens aurora quadrigis
Albionis magnam radiiſque illuminat Urbem,
Phœbus & oppoſitas illuſtrat lampade terras,
Undique campanæ reſonant in turribus altis,
Cum lituíſque tubæ paſsim clangore reſultant.
Spectatum plebs tota ruit, replétque plateas
Agminibus, numeroſa viris, nemoroſa puellis.
Non minus exultat Tameſis ſpumantibus undis,
Impatiens tot ferre rates cymbáſque volantes,
Evocat ad Socias ſpectandum quenque cohortes.
Quippe triumphali vexillis more ſolutis

Itur

Itur in occiduam, jus in quâ dicitur, aulam,
Vt juramentum præſtetur corde fideli.
Intereà dum Conſul abeſt, totúſque Senatus,
Tot Sociæque Tribus, Capiti ceu membra miniſtræ,
Aut etiam in reditu convivia læta celebrant,
Ne quid turbarum populoſa oriatur in Urbe,
Pegmata geſtantur variis cælata figuris,
Gratáque demulcent hominum ſpectacula mentes,
Quêis tum ſpectandis paſcuntur lumina vulgi.
Fortè peregrinus qui ſis hâc Urbe requiris,
Quid ſibi pompa velit tam magni conſcia plausûs?
Annua Prætoris renovatur Sparta Supremi,
Cui decus Europæ, præſentis gloria ſeculi,
Ille Britannorum Magnus Rex atque Monarcha,
CAROLUS, Auguſtam committit Legibus Urbem,
Mercibus innumeris, opibus, populóque refertam.
Hinc præfertur ei cum ſceptro Regius enſis,
Ut benè juſtitiam cuivis ex jure miniſtret,
Faſcibus & dignos vigilans tueatur honores.
Ardua res agitur magnâ ratione regenda!
Unius eſt tantùm ſolennis pompa diei;
Sed variis curis vix ſufficit integer annus.

Dominus Prætor. Prætor in Urbe gravis ſceptro gladióque verendus
Emicat auſpiciis ad tanti culmen honoris:
Sic ſplendore capit conceſſam Cynthia lucem.

Senatores 26. Alpha Senatorum viginti quinque ſuorum

Omnia

Omnia diſpe nſat prudenti mente gerenda,
Crimina condemnat Comitum præſente coronâ,
(Ni modò ſit major ſcelerato in crimine pœna,)
Quæ dirimit prudens Vir Syndicus, arbiter æqui,
Juſtitiæ Præſes, cultor Themidóſque ſacratæ.
Bis tredecim ſiquidem regiones Urbis habentur,
In quâvis harum, prouti bonus ordo requirit,
Quíſque Senatorum dextram gerit uſque fidelem,
Cum digitis totidem quot quæque Eccleſia præbet,
Quarum ſunt centum viginti tréſque, frequentes
Ædibus, & templis nitidæ, populóque repletæ.
Sic capitur candens oblongâ forcipe ferrum:
Sic vitia & cædes ſubitò tolluntur ad unguem.
Non ſecùs ac Titan duodena perambulat aſtra
Continuis vicibus; totidem ſunt Urbe cohortes,
Et pelago & terris celebres, notæque phalanges,
Ornamenta, Tribus Patriæ, Gentéſque Togatæ.
Cuilibet eſt Tribui præſtans gravitate Magiſter,
Collegæq; pares Sociali ex agmine lecti,
Conſortéſque alii ſociis aſsiſtere curis:
Cuſtodes aliâs Aſsiſtentéſque vocantur.
Hos ſi quis videat, poterit ſpectare Senatum
Ordine, conſilio, diſciplinâque probatum,
Unde Magiſtratus ſerie decernitur omnis.
Non refero reliquas, quæ ſunt in corpore, gemmas,
Nobile cor Regni Proceres, Civéſque fideles

Vice-Comites 2.

Syndicus Juris-Conſultus, Urbis Conſiliarius, & Judex in criminalibus.

Deputati Senatorum.

Conſiliarii.

Primariæ Societates 12. ex quibus ſolis fiunt annui Prætores.

Magiſter.

Guardiani.

Aſsiſtentes.

Obſequio Regis, quêis Nobilitatis honores
Contulit ipſe favor, Magnorum & gratia Regum,
Qui ſua dant Sociis percrebrò Nomina turbis,
Non ſecùs ac ipſi radiant has Lumine Reges.
Tantus amor Populi, dilectæ & gloria Gentis!
Cuíque Suum decus eſt, & quò quis cultior arte,
Et virtute ſuâ, Civis præſtantior audit,
Et cum divitiis magno cumulatur honore.
Sunt quóq; prætereà Tribuum tot in Urbe cohortes,
Quas Socialis amor Fraterno Fœdere jungit.
Secundariæ Societates 10. pro tranſmarinis negotiationibus.
Harum namq; decem ſunt fulcra ſecunda priorum,
Quêis patet Oceano terrarum pervius Orbis:
Pars Boream verſùs Gedanum, Ruſſóſque frequentat,
Dives & Hamburgum, Belgas & Marte potentes:
Pars alia Europæ dites Aſiæque per oras
Commutat merces Italis, Gallis, & Iberis,
Germanis, Turcis, cum Perſide promovet Afros:
Pars reliqua ulteriùs geminos excurrit ad Indos,
Educítque novos in tot nova regna colonos.
Inferioris conditionis Societates 50. Mercatorum & Opificum.
Quinquaginta aliæ ſunt deinde Tribúſque togatæ,
Tot Mercatorum variæ Collegia fortis,
Artificúmque duces numerosâ ex plebe catervæ
Ceu latus extremum claudentes civibus agmen,
De locuplete penu quêis fundit copia cornu.
Sive petas merces, textóſque ex vellere pannos,
Sericeas veſtes, Tyrióque colore micantes,

Aut

Aut alio quocunque velis, gemmáſque nitentes,
Aut ebur, aut lapides, vel quodvis nobile lignum,
Vaſáque de vario pulchrè confecta metallo,
Talibus Urbs intra paſsim decoratur & extra,
Artificum curâ, & ſtudio, vigilíque labore;
Seu quóque nota domi poſcas ſacra dona culinæ
Quadrupedum, volucrúmque dapes, & farris opimi,
Et varios fructus, lautæ & bellaria menſæ,
Vel tot aromaticas, olei viníque tabernas,
Aut herbas hominum vires reparare valentes,
Innumeris ratibus, plauſtris, terráque, maríque,
Materias rerum totus tibi ſuggerit Orbis,
Quêis Urbem ditat decuplo cum fœnore linum.
Fors etiam quæres, cur geſtet quíſq; cucullum,
Aſſutúmque togæ à læva tergóque revinctum?
Totius Emporium celebre eſt Trinobantias Orbis.
Omnes námque ferè, quot habet Reſpublica Cives,
Sunt Mercatores Sociali fœdere juncti,
Cum quibus exercent variæ commercia Gentes.
Mercibus augendis eſt ſola pecunia nervus,
Contractúſque decens, & permutatio juſta.
Dirigit ergo priùs cuivis prudentia mentem,
Quomodo quæq; ſuo merx ſit tractanda valore,
Pondere, menſurâ, numero, bonitate probatâ.
Ponè dehinc nummos in promptu dextra miniſtrat:
Nec facile eſt falli, quia ſunt ſatis arte periti,

Pythagoræ & menſam digitis verſare ſcientes.
Omnibus his extant trabeatis arcubus aulæ,
Hîc ubi conveniunt, peragunt & commoda rerum,
Et poſitis curis quandóque epulantur amicé.
Has omnes geniti peravito Sanguine Reges
Juribus ornârunt & Libertatibus ipſis,
Non minùs in clypeo certis inſignibus, armis.
Si verò gravibus premitur Reſpublica curis,
Cogitur ex variis ſelectum Civibus agmen,
Commune Conſilium: Conſilium commune vocant ex Urbe coactum:
Sic bene cum nervis coeunt in corpore membra.
Omnibus his ſupereſt Prætor Regalis aſylum,
Et tutela decens Patriæ ſub Rege Potenti,
Quilibet ut proprias habitet tutiſsimus ædes,
Cuique ſuum tribuens ſine noxa & vivat honeſtè.
Quòd ſi fortè furat plebs ſeditione coortâ,
Protinùs ille poteſt præſens ſedare tumultus,
Armatâque manu tantos componere motus:
Civibus ex lectis alacris cui militat ordo,
Millia ſex quorum ſunt ferre ſat arma parati.
Et quid in Oceano poſsit conferre Tributi
Cum Sociis Tribubus, reliquis & Civibus Urbis,
Ad placitum Magni juſſumq; hoc tempore Regis,
Hoc experta probat perabundè Regia claſsis,
Pro defendendo conſtanter in æquore Regno:
Dimidium Regni potis Urbs æquare Britanni.

Ne

Officiarii D. Prætoris.

Ne taceam reliquos Prætoris in Urbe Togatos,
Officiis certis Domino ſervire paratos,
Præfectum Cameræ magnâ gravitate verendum, *Camerarius.*
Juridicum inſignem, Patriæ Legíſque peritum, *Procurator.*
Et qui conſignat Tabulis decreta Senatûs, *Secretarius.*
Et qui ſollicitè cenſûs Archiva recondit, *Sollicitator.*
Et qui ſcrutinio cædes dignoſcit iniquas, *Coronator.*
Et qui præficitur Tameſino in flumine Ponti, *Præf Pontis.*
Quique notant ſcriptis cauſas in jure clientum, *Notarii 4.*
Expediúntque graves civili in turbine lites, *Cauſidici varii & ſcribæ.*
Sub quibus eſt ingens ſcribarum turba minorum
Tot manibus calamos agitare ſacrámq; papyrum.
Non ſecùs atque domûs omnes illius alumnos,
Servitiis promptos pluſquàm triginta miniſtros,
Armigeros quatuor fidei candore probatos.
Enſifer ipſe præit Prætori & dirigit aulam: *Enſifer.*
Hoſpitibus gratus venatu eſt alter Achates: *Magiſter venationum.*
Sceptriger ad populum proclamat juſſa Senatûs: *Facialis.*
In Tameſi quartus vigilans eſt Præſes aquarum. *Inſpector Tameſis.*
Hos alii comites recta ſtatione ſequuntur,
Obſequiis alacres menſæ inſervire frequenti,
Convivis præbere dapes, hauſtúſque decentes,
Quêis fit plena domus toto Prætoris in anno,
Sparta Duúmq; Virûm, Sociûm, comitúmq; ſuorum, *Vicecomitum Judices 2.*
Quorum Judicibus conſtat quoque Curia binis,
Cauſidicíſque aliis, ſex & triginta miniſtris. *Advocati & officiarii.*

Non

Collegium Greſhamenſe.

Non minùs in gremio recubat Rectoris Apollo,
Greſhami Sacris addictus in Urbe Deabus,

Baſilica Mercatorum.

Omnigeníſque patens tot Mercatoribus aula,
Civibus ingenuis decus, & commune theatrum,
Hîc ubi firmantur contractus ordine juſto.
Non refero, quò ſe ruri diplomate Regum
Longiùs extendat Prætoria jure poteſtas,
Quâ Conſervator Tameſis Pater ille vocatur:
Id probet Urbanæ vicinus terminus oræ.
Sit ſatis Auguſtam deſcribere cortice Nympham:
Et parit egregios Generoſa Britannia vates.

Collegium Sionis.

Interea proprio benedicat IOVA Sioni,
Qui pietate ſonat Chriſti inter mœnia laudes,
Gaudeat ut ſolitis florens Urbs ſæpè triumphis.
Dum capit ergo graves Prætor Torquatus habenas,
Cum gladio & ſceptrum Regali laude decorum,
Atque Magiſtratum curarum mole repletum,
Quíſque die feſtâ defert huic gratus honorem,
Præſtat & officium venientem lætus in annum.
In reditu quâvis Tribuum præeunte catervâ,
Inter tot lituos, ſpectacula, jubila, plauſus,
Primus equo vehitur candente Vicarius ille
Spectanti populo ſpectandus purpurâ & oſtro;
Ordo Senatorum ſequitur quem paſsibus æquis,
Purpureíſque togis, totidem biníſque caballis
Hoſpitibus reducem Patriam deducit in aulam.

Curia

Curia magna patet, ſublimibus alta columnis,
Tegmine ſidereos imitans laquearibus arcus,
Conſilio ampla Domus, Tribubus columénq; togatis:
Hîc quia tractantur permagna negotia rerum,
Dicitur à variis quàm maxima Curia curis.
Hîc quóque feſta dies præbet convivia lauta,
Hoſpitibúſque dapes ſolenni more paratas.
Implentur ſapidæ carnis, pinguíſque farinæ,
Delibant pateras, cyathis & vina coronant.
Vix aliquis credat, ſi non conſpexerit ipſe:
Quandoquidem pariter peregrinis menſa ſuperſit,
Fermè onerata cibis, verùm moderata Falerno.
Mente Deo gratus, devotus & Urbis honori,
Regales epulas dic, quiſquis es ore rotundo,
Quas non ſuppeditat vulgò commune macellum.
Hoſpitibus tandem, dapibus, menſíſque remotis,
Mox ſacra Conſul adit Paulini limina Templi,
Cum reliquis Patriæ Tribubus, Sociíſq; laborum.
Hîc ubi ſupplicibus placârit Numina votis,
Auxiliúmque Dei cœleſtis dogmate verbi
Senſerit, ad proprias facibus deducitur ædes,
Concurſu Populi, Sociorum aſtantibus alis.
Solvuntur placidis abſtruſa emblemata gryphis,
Pegmata quæ lepidis dederant luſtranda cothurnis.
Poſt varios plauſus, ſpectacula, gaudia, riſus,
Quíſque lares repetit, noctíſque ſopore gravatus

Lumi-

Luminibus gratam captat per membra quietem.
Sed Patriæ Patri moles onerosa laborum
Incumbit de mane novo, totúmque per annum,
Quos vigili curâ, velut Urbis ahenea Turris,
Herculeis humeris sustentat Regius Atlas.

Ad Londinum,
Britanniarum epitomen & ocellum.

Nympha Britannorum Regali Sede decora,
Totius & Regni Nobilitatis apex:
Quicquid habet sparsim pelago circumfluus Orbis,
Tu retines Patrio, Cynthia grata, sinu.
Te tuus irradiat Sol, & tot Sidera Gentis,
Clerus & ad cœlos fert Pietate facem.
Justitiæ summum patet in te cuique tribunal,
Juridicúmque ampla, nota Theatra, Domus.
Ordo Magistratum stabilit ceu cardine postes,
Dum capiti præstant singula membra decus.
Emporium cunctas profert Mercator ad oras,
Mercifluásque refert pontus & aura rates.
Viribus alma tuos sociat Concordia Cives,
Educat & fortes Pallas ad arma Viros.
Sic vigeas felix Magno sub Rege Britannis,
Floreat ut tantis insula tota bonis.

FINIS.